

438

436

442

432

447

427

487

387

537

337

Ende

Anfang

427

verunt, et quanto plura idola fuissent adducta et templo constructa,
tanto sanctiorem urbem esse credebant: sic Venetiani omnes ec-
clesiae sanctae ordines in suam vocavere urbem, quam sanctam
et fortunatam fieri sentiunt in eorum multiplicatione, unde hodie
augmentant monasteria et ecclesias.

Longe alterius mentis sunt cives nostri in Alemannia, qui
aestimant, civitates depauperari per monasteria et ecclesias, nec
admittunt religiosos, imo loca antiqua, ubi possunt, destruunt
et falso dicunt, se magis per religiosos et clerum gravari,
quam per Judaeos. Unde Judaeis usurariis loca apud se con-
cedunt ad habitandum, quod nullo modo concederent religiosis
personis. Non sic domini Veneti faciunt, qui nullum Judaeum
in tanta urbe suslinent, nullam religionem excludunt, collapsa
monasteria erigunt et nova construunt. Unde anno Domini 1480,
me existente Venetiis, inchoatum fuit monasterium Sanctae Mariae
de miraculis, quod a fundamentis construitur pro monialibus or-
dinis sanctae Clarae tam pretiose et sumtuose, quod est mirum
videre. Nullus princeps Alemanniae posset talem structuram ex-
solvere. Sic autem hoc monasterium initium habuit. Modus quippe
est, quod in omnibus angulis, ubi arcii sunt vici et curvi, est
suspensa una lampas, quae noctibus accenditur, et ne lumen gratis
ardere videatur, ad parietem retro lampadem ponunt aliquam ima-
ginem beatae Virginis, ut lampas tam ad honorem beatae Virginis
accendatur quam ad commoditatem transeuntium. Erat autem
in uno angulo satis immundo et arcto talis beatae Virginis imago,
de qua fama percrebuit, quod miracula ibi fierent. Unde in brevi
factus fuit tantus concursus ad locum illum et tantae oblationes
apportabantur, quod domus ibi stantes emerent constituti procura-
tores, et in loco ecclesiam construxerunt et alias pontes et vicos
fecerunt. Insuper ipsis Graecis dederunt ecclesiam S. Blasii, ut
more eorum officia sua in ea peragerent, quod tamen mihi adeo
displacet, ac si Judaeis synagogam construere indulsisserent vel
Sarracenis moscheam, cum Graeci nostris ecclesiis sint infensissimi,
ut saepe supra patuit. Audivi tamen, quod eos expulerunt ab
illa ecclesia.

Unde autem tot clericci, tot monachi et moniales, tot religiosi nu-
triantur in mari, est bene mirum. Porro legata et testamenta divitum

